

ILL Document Delivery



HMD-13504118

OHUKJS

NLM -- W4 E23 C847 1815

Cedarville University  
Centennial Library  
251 N. Main Street  
Cedarville, OH 45314

ATTN:  
PHONE: 937-766-7840  
FAX:  
E-MAIL:

SUBMITTED: 2005-07-06 09:49:50  
PRINTED: 2005-07-27 15:07:15  
REQUEST NO.: HMD-13504118  
SENT VIA: DOCLINE  
DOCLINE NO: 17512625

HMD	Copy	Monograph
-----	------	-----------

**AUTHOR:** Cotter, Rogers.  
**TITLE:** Dissertatio medica inauguralis de tympanita.  
**PUBLISHER/PLACE:** Excudebant Abernethy & Walker Edinburgi :  
**VOLUME/ISSUE:** 1815  
**DATE:** 1815  
**OTHER NUMBERS/LETTERS:**  
**SOURCE:** NLM Unique ID: 101227915  
Unique Key  
**MAX COST:** \$ 25.00  
**COPYRIGHT COMPLIANCE:** Guidelines  
**CALL NUMBER:** W4 E23 C847 1815  
**REQUESTER INFO:** Greg Martin  
**DELIVERY:** Mail:  
**REPLY:** Mail:  
**NOTES TO CLIENT:** Photocopy - No Scan

NOTE: THIS MATERIAL MAY BE PROTECTED BY COPYRIGHT LAW (TITLE 17, U.S. CODE)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYMPANITA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**ROGERS COTTER,**

**Hibernus,**

COLLEGI REGII CHIRURGORUM EDINBURGI PERMISSUS,

NECNON

LEGIONIS WESTMEATHIENSIS CHIRURGUS SECUNDUS.

---

Ἄλλα γὰρ τί ταῦτα θρηνᾷ,

Καί μάτην δδύρομαι;

Τὰς γὰρ ἔκ Θεῶν ἀνάγκας

Θνήτῳν ὄντ᾽ αἰεὶ φέρειν.

Ἐυρίπιδου Φοινισσαί.

---

Ad Diem I. Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1815.

77-13750

DISERTATIO MEDICA  
DE

TYPANITIS

D. GEORGIO SACKVILLIO COTTER

OPUSCULUM

OPUSCULUM

Toj  
Shaw Toj  
With the Authors Consent

PATRI

SUO DILECTISSIMO,

REVERENDO GEORGIO SACKVILLIO COTTER,

ARTIUM EX ACADEMIA CANTABRIGIENSI MAGISTRO,

§c. §c.

SPECTATISSIMO SUO

IN GRAECA LATINAQUE LINGUA

PRAECEPTORI,

VIRTUTIBUS VERE OMNIBUS

QUAE HOMINEM, QUAE CHRISTIANUM ORNANT,

INSIGNI;

OPUSCULUM HOC,

GRATI ANIMI SINCERUM, QUAMVIS PERTENUE,

TESTIMONIUM,

FILII AMORIS PIGNUS

CALAMIQUE ALUMNI PRIMITIÆS,

SUMMA REVERENTIA

D. D. C.QUE

AUCTOR.

seo, artem medicam, summosque honores ambientes, casus illos, ante omnia, qui sibi-met ipsis, prout tironibus, objecti sint, suasque observationes, rationemque medendi, describere; ne, utile novo miscendi spe abstracta, trita solum vestigia in dissertationibus hisce sequantur, quasi longo ordine scriptorum perterriti, qui fere omnem morbum iterumque iterumque descripserunt.

Quo mihi rectius videtur, de Tympanita disserere, quamvis mox pateat me prius scripta solum, prius observata repetere; at tamen de illo praecipue pauca dicere fert animus, quia raro, ni maxime fallor, tractatus, et quia nuperrime in exercitu artem medicam exercenti, morbum hunc, quamvis rarum, mihi licebat observare.

Tympanites definitur, “ Abdominis intumescencia tensa, elastica, sonora; alvus astricta; caeterarum partium macies.”

Hujus morbi species multae ab auctoribus enumerantur: Tympanites Intestinalis, ubi

aër in intestinis ipsis colligitur; Abdominalis, ubi in peritoneo est; Enterophysodes, aëre et in intestinis ipsis, et inter eorum tunicas collecto. Hoc unquam fieri, nisi per tunicae internae erosionem, impossibile videtur.

Aliae quoque morbi hujus species enumerantur; exempli gratia, Tympanites ex abdominali et intestinali conjunctis; Tympanites asciticus vel cum ascite.

Sed haec plerumque discrimina inutilia sunt; in enterophysode, atque etiam in ascitico, morbus primarius est intestinalis.

Abdomen tumidum, tensum, sed nequaquam sonorum, quod semper, ni fallor, in infantibus adest, qui Rachitide laborant, Tympanitae speciei referendum censeo. Sed non morbus primarius est; idcircoque duas species praecipue, Abdominalem et Intestinalem, considerare, mecum proposui.

Auctor \* praeclarus, speciem distinctam esse abdominalem a multis negari dicit; additque, “ morbum perquam rarum:” attamen ait, “ multis corporibus sectis, talem “ esse speciem nequaquam negandum.”

Neque adhuc, mea quidem opinione, pro certo satis probatum est, speciem revera distinctam abdominalem esse. Ni maxime fallor, in casibus fere dixissem omnibus, in quibus post mortem corporibus sectis, aëra intra peritoneum inclusum compertum fuit, fissura, vel foramen etiam minutissimum, inventa.

Sed quoniam eo de opinionibus hisce disserentes venimus, haud indignum videtur, pauca de casu referre, quem memorat \* vir eximius, juvenis Tympanita absumpti, abdomine tenso, in excelsum tumido, signisque aliis omnibus morbi hujusce lamentabilis. Integumentis, musculisque abdominalibus per-

\* Cullen.

† Dr Gregory.

sectis, sese offert peritoneum magna vi distensum; diviso, aër eruere: Abdomen ex magnitudine collabi: Intestina omnia et hepares, colorem obscurum, et quasi semimarcidum induerant, haud secus ac in mensa in aëre atmosferico diu jacerant; diligenter inspectis, post longum per tunicas, pateri foramen, quasi confectum acicula, compertum est.

Fere eadem narrabat \* praeclarus alter; secto corpore aegroti dysenteria ulceribusque intestinorum diu laborantis, qui Tympanita sub finem enectus decederat.

Opinioni huic favet ipse clarissimus SAUVAGESIUS †. “ Quoad ejus principia, (abdominalis), verisimile est, eroso quomodocunque vel ventriculo vel intestino, flatus in abdomen irrepsisse, ut vidimus in vesicam ex intestino eroso, se insinuasse ad producendam aedopsophiam.”

\* Dr Monro.

† Nosol. Method. Sauvagesii.

Speciem morbi sextam, studio haud indignam, narrat SAUVAGESIUS; Stewartii Tympanites vocatur, “ quae,” ait, “ a bilis extra cystidem effusione ob vulnus inflictum, sat cito supervenit.”

“ Miles, vulnere accepto, quo vesica fellea pertusa fuerat, sat cito intumescit abdomine, ut in Tympanita, ast sine dolore, febre, inflammatione, cum alvi constipatione pertiaci; urina parca, crocea; pervigilio, quod opiatis restitit; lingua sicca. Aperto cadavere, bilis intra abdominis cavum exundabat; intestina valde inflata et extensa; nulla, ne in vulnere quidem, inflammatio. Paulo ante mortem, quae septimo die advenit, pulsus inaequalis levisque, singultus.”

Hujusmodi aliud exemplum memorat \* doctissimus, hominis cujusdam, vehiculo incurrente, prostrati; rota claviculam fregit, totumque latus dextrum laesit. Brevi cres-

---

\* Dr Gregory.

cere abdomen; fluctuatio sentiri. Multa frustra tentata; tandem proposita est paracentesis. Inepte adactum trocar; nil effluit. Brevi supervenit gangraena, morboque enectus, moritur. Secto cadavere, trocar oblique per musculos introductum, rasumque, sed non perforatum esse peritonaeum, comperatum fuit. Fluidum, coloris biliosi, quod cogi posset, librasque viginti aequans, sed nil aëris intra cava abdominis inventum fuit. At intestina ipsa, aëre quam plurimum distensa, in conspectum veniebant. Nec ductus, nec vesica fellea, quod mirum, injuria ulla affecti sunt. Faeces, contentaque alia intestinorum, coloris albidi fuerunt, quod ex inopia bilis proculdubio ortum est.

Quia Meteorismus \* “ est intumescencia abdominis vel tantum epigastrii aut hypochondrii a flatibus contentis,” non omnino praetereundum puto; “ in eo diversa a

---

\* Sauvages.

“ Tympanita, quod si totum abdomen tumeat  
 “ a Meteorismo, illud symptoma sit fugax,  
 “ acuti cujusdam morbi comes ; si vero, tan-  
 “ tum tumeat epigastrium, hoc symptoma, li-  
 “ cet pertinax, cum Tympanita minime con-  
 “ fundi potest.” De hoc me satis dicturum  
 esse censeo, si morborum auctorum saepius,  
 exempli gratia, ilei, enteritidis, febrium malig-  
 narum, affirmem, lamentabile, et plerumque  
 pessima quaeque portendens symptoma ;  
 plerumque, nam exempla narrantur in qui-  
 bus aegri, in febre, meteorismo laborantes,  
 vixerunt.

Casum aegroti militis, quem nuperrime  
 curabam, pro morbi historia liceat mihi de-  
 scribere. Hoc quidem quam paucissimis fa-  
 ciam.

Miles, hactenus sano corpore, validus, an-  
 noque aetatis quadragesimo quinto, doloribus  
 in abdomine levibus paulisper vexatus, per  
 solutionem sulphatis magnesia, addita jala-

pae tinctura, gradatim haustam, levatus est.  
 Solutio lenissime agebat.

Die postero, perfecte renovatus est ; sed  
 paucis post horis, dolores in abdomine rever-  
 tunt et augentur, quod brevi crescere incepit,  
 elasticum, leve, sonorum uniformiter intu-  
 mescens.

Alvi astrictio aderat ; sed per supradictam  
 solutionem, haustibus repetitis sumptam, le-  
 vata est : scybala nulla apparebant.

Borborygmos edere continue conabatur  
 aeger ; sed hi levamina nulla, vel fugacia, at-  
 tulerunt. Pulsus frequens erat, et jam dys-  
 pnoea et tussis molestissimae factae sunt :  
 tensio abdominis gravissima.

Quotidie per solutionem sulphatis magne-  
 siae, vel laxantia carminativa, interdum per  
 enemata levebatur alvus. Frictiones abdo-  
 minis, manu ministri lanula co-operta, sae-  
 pius repetitae. Medicamenta, quae aromatica  
 et cardiaca vocantur, diu tentata sunt ; irri-  
 ta ; tensio abdominis gravissima mansit.

Laudabantur a quibusdam fomentationes calidae, vel semicupium; sed verebar ne calor aëra inclusum rarefaceret; atque ita mox se res habuit. Nam ministri aegrum injussi, in dolio, aqua calida impleto, submergunt, ibique fovent. Brevi, longe aliter ac rati sint, evenit. Ad cruciatus usque, augebantur dolor et tensio.

Sub hoc tempus aeger, medicamentis aliis levamina nulla afferentibus, haustu anodyno ex tinctura opii, cum duplice vino antimoni-ali, usus est. Gradatim aucta est tinctura. Hoc aeger ipse quotidie petebat, gratissimum sibi dicens. Ischuria etiam, quae jam supervenerat, haustu levata. Quid multa? Ope medicinae hujus, sulphatis magnesiae, enematum et fricationum, fasciae, Tympanites paulatim evanescere et salus pristina redire incepit. Haustus anodyni, quaque nocte repetiti, plurimum quidem profuerunt. Totam noctem, sumpto haustu, atque etiam mane, tensio abdominis maxime imminuta,

(cute molli et humida), vespere semper aucta est. Aeger ipse se cito sine haustu moriturum esse dicebat.

Jam tandem circumambulabat patiens. Cibi appetentia, vires crescebant. Jam ad munera militis rediturus, medicamentis omnibus, praeter cinchonam, et acidum sulphuricum, diu omissis, subito dextri lateris hemiplegia percussus est. Pro certo est, tempore quo paralyti affectus fuerit, symptomata Tympanitae omnia, praeter levem abdominis duritiem, abesse.

Jam novus aderat morbus. Crus brachiumque dextrum omnino reddita sunt inutilia. Lingua quoque haud parum affecta; mens etiam paulum imminuta.

Pleraque illa a variis auctoribus laudata stimulantia adhibita sunt. Fomentationes calidae, sinape interne; fricationes sinapeos cum decoctione forti armoraciae rusticanae, bis Indies per semihoram constanter adhibitae. Flaccida videbantur membra. Em-



plastra vesicatoria in membris ipsis dolentibus vitanda censebam, ne, musculis tam marcidis, ulcera in gangraenam abirent. Attamen emplastrum vesicatorium acre, posteriori capitis parti assiduo applicatum est. Interdum tinctura cantharidis tentata, saepius guaiaci ammoniata. Cutis post longum aliquatenus rubefacta est. Tandem membra dolentia aeger paulatim movere inceptit; magis magisque facta sunt firma. Fricationes interea nunquam remissae. Ne morer, crure primum, dein brachio uti inceptit; et praesenti tempore, claudus quidem, vivit, absunt omnia symptomata Tympanitae.

---

#### DE DIAGNOSI.

QUAMVIS equidem eadem sit in Tympanita Abdominali et Intestinali ratio medendi,

attamen operae pretium est cognoscere, tumorem in abdominali, morbo incipiente, multo uniformiorem esse quam in intestinali; sed progredientibus morbis, parum discreti sunt. In utroque casu borborygmi frequentes, in intestinali paululum utiles.

Ab Ascite facile distinguitur, quia haec gradatim, Tympanites vero ad summum cito pervenit. In Ascite, pulso abdomine, fluctuatio, in Tympanita nulla, sentitur. In hoc morbo leve videtur abdomen; pulsumque sonos, quasi tympano similes, reddit, eandem semper retinens figuram. Omnino pauci equidem morbi sunt, quibus confundi possit Tympanites. Saepissime, ut quidam volunt, in Ascitem abit Tympanites. Hic saepius sequitur. Ingruente Ascite, fluida abdominis ima, intestina supera, quia sint leviora, et regionem epigastricam, petunt. Haud satis accurate observans, manibus, partibus superioribus solum admotis, Tympanitam ex levitate epigastrii adesse dicat, et postea cum

Ascites in aperto fiat, hanc ex Tympanita praegresso ortam appareat.

Multae causae remotae hujus morbi dicuntur, sed hae plerumque hypotheticae sunt.

Omnis temperies corporis, sexus uterque, senes juvenesque, Tympanitae obnoxii esse videntur.

---

#### DE CAUSIS PROXIMIS.

CAUSAS proximas Tympanitae proculdubio, haud facile est cognoscere.

Talis est in corpore humano textura cellularis, ut facillime per eam huc et illuc transit aër; unde saepissime oriuntur emphysemata in substantia cellulari variisque partibus corporis.

Omni substantia, fluida ac solida, e qua componitur corpus humanum, multum aëris

fixi et condensati proculdubio inest, qui rursus in conditionem pristinam per calorem, putredinem, causasque alias reddi potest. Hoc modo forsitan pneumatases varias, ab auctoribus enumeratas produci verisimile est. Sed in Tympanita, de quo nunc solum considerandum est, aëris collecti multo minus clarior est origo.

Haud a proposito alienum puto, et res ipsa postulare videtur, priusquam de causis ulterius tractemus, pauca de modo, quo fit in salute digestio disserere; hoc quidem quam paucissimis absolvam.

In digestionem salutari quaedam necessaria videntur. *Primo*, Calor idoneus in ventriculo. *Secundo*, Salivae mistura in manducatione. *Tertio*, Succus gastricus idonea quantitate. *Quarto*, Motus peristaltici ventriculi ipsius, adjuvantibus diaphragmate et musculis abdominalibus.

Cibo per oesophagum demisso, impletoque ventriculo, arteriae minutissimae, quae sese

in interna stomachi tunica recludunt, excitantur, statimque succum gastricum secerunt et effundunt. Per hunc vero cibus (adjuvantibus saliva, calore, motibusque fibrarum) mollitur, dissolvitur et diluitur. Brevi in massam homogeneam redigitur, Chymum vocatam, qui ventriculi pylorum transit et duodenum implet.

Inutile quidem esset varias digestionis hypotheses, quae olim tenebantur, multis verbis enumerare. Alii cibum in ventriculo, veluti in lebetē coqui; alii fermentari, et per fermentationem solam fieri digestionem censebant; quidam per putrefactionem, quidam per triturationem existimabant.

Ni ea res longius ab incepto traheret, facile haec refutanda.

Ab omnibus hodie conceditur, cibum in ventriculo a succo gastrico dissolvi, alimentaque nostra fermentationem aliquatenus subire, calore adjuvante; succumque gastricum fermentationem nimiam compescere.

Digestione in stomacho progrediente, hujus fibrae musculares moventur, cibumque ab omni parte premunt, et huc et illuc vertunt. Tandem digestionē in stomacho finita, cibus, vel potius chymus, sese ad pylorum offert, qui sensu miro praeditus, statim relaxatur, chymumque in duodenum transire sinit: ibi vero succo pancreatico et bile intime miscetur: per haec, chymus mutationem alteram subit; jamque chylus separatur, quem tandem suscipiunt vasa lactea, et sanguine commiscendum auferunt.

In duodeno et aliis intestinis cito fermentaret chymus, nisi quod compesceretur a succo pancreatico, bile, aliisque intestinorum fluidis. Atque etiam sic, citissime in fermentationem putredinemque abiret cibus, sed fibrae musculares intestinorum sese assidue commovent, contentaque, caecum versus, propellunt, jam inertia facta, et tempore opportuno ejicienda.

Quando, uti supra diximus, nostra omnia alimenta, praecipue vegetabilia, fermentationem aliquatenus in digestionem patiuntur, hoc modo aëra in intestinis ipsis vel in stomacho liberari, manifestum est; sed fluida omnia animalia, quibus immiscentur alimenta in intestinis, aëra nimium, qui cito aliter abundaret, subigunt.

Ab aëre, more inusitato, ex alimentis emisso, produci posse Tympanitam, verisimile videtur; ex quo fit morbum hunc ex fluidis digestoriis corruptis saepius oriri posse, quia in casu hoc, prout in salute solet, aëra subigere non possunt. Attamen ex hisce affectibus solis Tympanitam semper produci, nequaquam probabile est, quia morbum hunc saepissime in illis qui antea in salute erant, oriri videmus.

Satis cognitum est, firmum in fibris muscularibus tonum, et aëra ex alimentis coërcere, et ut resorbeatur aut expellatur, efficere. Ex quo fit, symptomata omnia flatuosa, quae,

Tympanita oriente, apparent, debilitati fibrarum intestinarum, potius quam fluidis corruptis, referenda esse. Ad haec, aër in intestinis collectus, cito per suam resiliendi vim, aut sursum aut deorsum effugeret; idcirco, cum neque resorbeatur, neque expellatur, constrictiones intestinarum spasmosas adesse verisimile est, quae fugam aëris prohibent.

Ex causis hisce forsitan pendet Tympanites.

---

#### DE CURA INTESTINALIS.

CAUSAS proximas Tympanitae investigare conatus, de cura tractandum censeo.

Hoc proculdubio difficillimum et incertum, et raro, nisi in recentibus, prospere evenit.

Attamen quae hactenus tentata enumerare fert animus.

Aëra in intestinis expellere, prima certe, uti omnis scit, indicatio est. Ad hoc efficiendum necesse est, constrictiones illas, de quibus supra diximus, intestinorum spasmosas, per quas aër collectus est, quaeque fugam prohibent, removeri.

Hoc fieri potest per varia medicamenta quae intestina excitant.

Observandum est, intestina maxime semper debilitari per purgantia acria, imo, quae non sunt mitissima; et hoc modo, finita evacuatione, alvi astrictionem saepissime produci.

Ob hanc causam vero, et ne tensis intestinis inflammationem inducant, medicamenta fortiora omnino rejicienda sunt. Ex iisdem quoque causis, enemata multum in usu, et eo magis necessaria videntur, quod faeces plerumque durae et quasi siccae sunt.

Ad haec, quodcumque post enemata aër expellatur, quandoque, expulso aëre, relaxatos esse spasmos appareat, haec proculdubio repetenda sunt.

Ad constrictionem quoque intestinorum levandam, et quia talia medicamenta de carminativis sunt, varia antispasmosa remediis proposita, et in usu sunt. Sed effecta eorum saepissime nihili videntur, et si famae credere est, noxia interdum propter inflammationem inventa.

Attamen antispasmosa mitiora purgantibus vel enematibus conjungere prodest. Idcircoque utilissimum esse videtur, antispasmosorum omnium optimum, Opium, quod, finitis purgantibus, nunquam omittendum est.

Quoniam plus aequo tensa et sicca videntur intestina, et praesertim ob spasmosas illas fibrarum contractiones, fomentationes et balneum calidum pro remediis proponuntur, et, uti pauci aiunt, utilia inventa sunt. Noxia opinione nostra, manifeste noxia in casu mi-

litis supradicto fuerunt, calore aëra inclusum rarefaciente, ni fallor, dolor et tensio augebantur.

Possibile equidem videtur balneum calidum multo minus utile quam tepidum diu applicatum.

Si ex debilitate fibrarum intestinorum pendet Tympanites, apte indicata videntur remedia tonica; ideoque chalybeia et amara diversa adhibita sunt; sed horum in usu diu perstare perniciosum est, quia stomachum certe, amara saltem, debilitant. Si tonica utilia, utilissimum videtur Cortex Peruvianus.

Uti nullum remedium tonicum tam potens est quam frigus corpori applicatum, potusque frigidus in stomacho, sic tale proponitur in hoc morbo remedium. Frigidus semper praescribitur potus; balneumque frigidum utilissimum inventum iri dicitur; exempla-que narrantur in quibus Tympanites, nive ipsa abdomini, iterumque iterumque applicata, subito et perfecte amotus est.

Nulla mihi remedium hoc in casu illo quem supra memoravimus tentandi copia data fuit, nam continuo aderat sudor, pulmonesque aliquatenus affecti, idcircoque vitandum censebam.

Abdomen fascia circumvolvendum.

Satis manifeste quidem patet observatio, alimenta omnia flatuosa in Tympanita attente rejicienda esse; et verisimile videtur, acida, uti sulphuricum vel muriaticum, utilia esse, quia ad cibi nimiam fermentationem compescendam idonea sunt.

In rebus egenis, in quibus remedia supradicta levamina nulla attulerunt, tensione urgente, abdominis paracentesis proposita est; sed dubium et periculosum atque hactenus intentatum credo; saltem, haud certae fidei est paracentesin in hoc morbo unquam feliciter perfectam iri.

Satis manifestum est, remedium hoc Tympanitae Abdominali solo applicandum esse, quia in hac morbi specie aër intra perito-

naeum colligitur. Si rima per tunicas intestinalium hiet, quid utile?

Si species revera distincta abdominalis, pauca supradictis addenda manent.

Quamvis abdominis punctura moram afferat, tamen ad curam morbi inutile videtur.

FINIS.

W4 E23 C847 1815